

1. Herm. von der Harde EpheMERIDES
philologiae 1703.
2. Joh. Christ. Iringij exercitationes
XVIII in pentateuchum M. et librum
Josue 1683.
3. Joh. Musaei Diss. de libertate philoso-
phandi. 1674.
4. Joh. Gezelij quæstiones theologiae
in conventu synodali Livoniae
1664.
5. Christ. Mascerovij Diss. de quæstio-
ne quid deus ante mundum
conditum fecerit. 1612.

- 6 Joh. Jungij, Diff. De questione an
Deus ante creationem mundi alicubi
querit. 1723.
7. Dan. Stuve, Diff. De questione: an quæ
contradictionem involvunt, cadant sub
potentiam Dei. 1676.
8. Melch. Gronert Diff. de versione Lxx. inter-
pretum. 1704.
9. Ad. Edm. Miri, Diff. de divisione
in capita et versus. 1683.
- 10 Laur. Wezeri, Diff. de verbo Dei. 1682.
- 11 Bernh. von Lander, Diff. de antiquitati-
ne Vet. Test. ex Hebr. 112 v. 13. 1710
- 12 Henr. Liedert Diff. de Talmudis
utilitate. 1699.
- 13 Joh. Christoph. Gottsched, Diff.
de genuina omni-presentiæ diuinæ
notione. 1723
- 14 Friedr. von Schæven Diff. de Lictione
nominiſ Jadhe per Adonai. 1723
- 15 Andr. Mylius De tetragrammato 1636
- 16 Joh. Burch. Græfgrigeri, Diff. de genuina
nominiſ tetragrammati notione 1698

17. Joh. Ludov. Fabricij avoexas meditationum
conf. 399 circa scientiæ ideam. 1663.

18 Joh. Christ. Rortenscher, Diss. de visione Dei.

19 Mich. Waltheri, Diss. de concursu Dei. 1683,
1688.

20 Joach. Hildebrandi Diss. xx. 1660.

21 Georgij Stempelij Diss. XIII de Christiana
Doctrina. 1607.

22 Bernh. von Sanden, Diss. de cognitione
Dei naturali. 1700.

23. Coel. Mislenta Diss. de efficacia Scriptu-
ræ Sacræ. 1626.

24 Balth. Cellarij Diss. de constitutione
natura et partibus theologiæ. 1651.

25. Joach. Just. Breithaupt Diss. de
studio theologiæ. 1702.

26 Christ. Schotani Diss. de sacra
Scriptura. 1671.

27. Christ. Samij Diss. de spiritu
interpretandi Scripturas. 1712.

6
IOUA IUUANTE RERUM PROGRESSUS,
DISPUTATIONEM,
PROBLEMA PHILOSOPHICUM:
AN DEUS ANTE CREA-
TIONEM MUNDI

ALICUBI
FUERIT, NEC NE?

IN SE CONTINENTEM,
CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS
PHILOSOPHICI,

IN
CELEBRATISSIMA PREGELANA ACADEMIA PATRIA
PRO RECEPTIONE IN ORDINEM
PHILOSOPHORUM,

PLACIDAE SOPHORUM *ἐξέρχου*
SUBMITTET

P R A E S E S

M. JOHANNES JUNGIUS, Reg. Pruss.,

R E S P O N D E N T E

CHRISTOPHORO DANIELE Weber/R. P.

S. THEOL. ET PHIL. CULTORE

DI XXIV. JULII. ANNO M. DCC. XXIII.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO,

AB HORA VIII. USQUE XII. HORIS MATUTINIS CONSUETIS.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

FLORENTISSIMAE REIPUBLICAE
CNEIPHOFIANAE

ANTISTITIBUS,

VIRIS

*PRAE-NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, MULTOQUE RERUM AC
CONSILIORUM USU SPLENDIDISSIMIS,*

DOMINO CHRISTOPHORO AEGI-
DIO *Negelein!*

S. R. M. in Prussia Consiliario Intimo,
CONSULI autoritate maxime Conspicuo,

DOMINO JOHANNI *Thamm!*

PRO-CONSULI Meritissimo, AEdis Cathedr. CURATORI
Primario ac Proto-Scholarchae Vigilantissimo,

DOMINO CHRISTOPHORO *Bessler!*

PRAETORI Sub-Urbano,

DOMINO CHRISTOPHORO *Grüger!*

JUDICI AEquissimo,

DOMINO HENRICO *Baschel!*

Praefidi Judicii Cenforii,

DOMINO JOHANNI HENRICO

Reußner!

CAMERARIO Fidelissimo,

DOMINO HENRICO *Bahn!*

Rerum bellicarum Commissario,

Ut &

DOMINO MELCHIORI *Sübeck!*

S. R. M. in Borussia SECRETARIO Intimo, atque Collegii Com-
merc. nec non Civitati Cniphofianae ab Epistolis,

ad conciliandum sibi fauorem,
ac studia sua IPSIS uel in
SCHOLA CNEIPHOUIANA
probe cognita,
commēdandum, hoc quicquid
est SCHEDIASMATIS, cum uoto
omnigenae prosperitatis offerunt,
qui UESTRA NOMINA,
exPIETATE, CULTU & AMORE
uenerantur,

M. JOHANNES JUNGIUS,

&

CHRIST. DAN. Weber,
Respondens.

§. I.



E argumento ubi cogitauimus, in quo Dissertatio nostra commodius uersari posset, non displicere nobis pulcherrima illa, quae e limpidiſſimis & *Philosophiae*, & *Theologiae naturalis* fontibus hauriuntur, placita, cum & ob *grauitatem* suam mouere, & ob *iucunditatem* demulcere so-

leant animos: quare & ex uberrimo utriusque Oceano pauca quaedam DE DEI ANTE CREATIONEM MUNDI ALICUBIETATE, (ceu nonnulli loqui amant,) deprompta proponere conamur, haec simul adjicientes, primitias studiorum nostrorum in praesentiarum nos ostendere uoluisset. Qui ergo ista legere & iudicare uolunt, animum adferant ab omni *Φιλαντία* ac *Φιλονεμία*, aliisque prauis affectibus, qui iudicium impedire solent, imo excaecare ualent, omnino purgatum; exinde enim eo faciliorem nobis pollicemur ueniam, si *jejunius* forsan atque *exilius*, quam pro dignitate, rem fuerimus profecuti.

§. II.

Ne uero in ipso statim Dissertationis nostrae limine a scopo aberremus, aut tanquam canes e Nilo fugientes haustam hac de re cognitionem ac scientiam, absque ulla praeuia consideratione effundamus, sed pedetentim istam LECTORI propinemus, illa, (uerum jamjam paucis, quae de *DEI praeesistentis ante Creationem mundi, creatione itidem mundi ex Lumine Naturae demonstrabili*, annotanda & recensitu

recensitu omnino digna uidentur, praefari lubet prius, quam in penitiora quaestionis, quam ut Thema pertractandum in nos suscepimus, controuersiae adyta penetremus.

§. III.

Prius ergo quod jam concernit demonstrandum *assertum*, *DEUM ante mundum conditum praecessitisse*, uarias in medium, easque *apodicticas*, afferrem rationes, nisi eadem magna in copia, uix dum huic operi mentem adiceram, ab Autoribus longe Clarissimis (*a*) annotatae, ac iamdudum collectae, uisui meo sese objecissent, insimul etiam *manum de tabula* remouere iussissent.

(*a*) Si libet, hanc in rem inspic. M. LUC. SCHROEDERI Dissertat. Pneumat. Poster. Thef. VII. VIII IX. praesertim uero Thefin X: *Ita uero Aeternitas DEO competit, ut & SOLI competat, neque ulli creaturae communicata unquam sit, imò nec absolute communicari possit.* M. JOH. RICHOVII Thef. Philosoph. VII. & VIII. de INFINITO. M. JOH. VALENT. Großgebauers Dissert. de OMNIPOTENTIA DEI, Cap. I. §. 14. & subsequens CAPUT II. integrum, pag. 14. 15. 16. Reliquos ut taceam, perlege etiam B. M. JOH. BURCHARDI GRIESINGERI, (*a tertio infantilis aetatis anno, utroque Lumine priuati,*) Sciographiam XXX. quaestionum Metaphysicarum, Quaest. XXV. *An Creatura ab aeterno potuerit a DEO produci?*

§. IV.

Ad alteram uero dum pedem promoueo *quaestionem*: *Num creatio mundi ex Lumine Rationis sit demonstrabilis?* eandem experior fortunam, dum prioribus pariter temporibus *affirmatiua*, pro decisione hujus controuersiae, magnis ponderibus ac argumentis, adstructa legi potest *sententia*.

Sunt quidem inter Scriptores, qui *mundum in tempore creatum esse, rationi prorsus imperuium existere, idque non nisi ex diuinis litteris definiri posse*, autumant (b); nec pauci eorum habentur, qui non solum *mundum ab aeterno potuisse creari* (c), uerum etiam *ab aeterno extitisse*, asserunt; (d) ast in tenebris his sibilare istos facile permittimus, ubi argumenta contraria, sua luce radiantia, *pro Creatione ex Lumine Naturae demonstrabili*, legere possumus. (e) Et ut non possimus inficias ire, controuersiam hanc in utramque partem esse disputabilem, quia *probabilibus*, non *apodicticis* nitimur fundamentis; interim cum & *inter probabilia detur electio*, quippe unum Veritati propius, quam alterum accedere potest: hinc probabilia nostra, si ad lancem Veritatis expendantur, praec adductis aduersariorum, praerogatiuam habere, nobis ita persuasum habemus, quam quod persuasissimum, imo certissimum.

(b) JOH. JAC. SYRBIUS Institut. Philosophiae Primae P. I. p. 45. §. XXXIX. BALTH. MEISNERUS Phil. Sobr. Tom. I. p. m. 760. sequ. postquam hanc: *An Creatio Mundi in tempore, rationibus Philosophicis certo demonstrari possit?* posuit Thesin, ita decidit eandem p. 776. Quare ex his omnibus tandem concludo, immotam stare Thesin nostram, nimirum: *quod Creatio Mundi in tempore Articulus sit fidei, non rationis, adeoque non intelligendo credatur, sed credendo intelligatur.* Ejusdem sententiae etiam est Prof. JAC. MARTINUS de Loco Libr. II. p. m. 579. sequ.

(c) Citatus SYRBIUS: *Cum potentia creandi ab aeterno in DEUM competat necessaria; neque adeo ratio, sibi relicta, indicare possit momentum, quo illa coeperit: nihil profecto superest, quam ut mundum ab aeterno creari potuisse, concedat.* P. II. p. 411. sic & prius nominatus M. JOH. BURCH. GRIESINGERUS idem statuit. c. l. Alios, uestigis horum qui

qui insistant; nominavit D. MELCH. LEYDEKKERUS in Face Veritatis Controversi. XI. *An difficulter refelli possint, qui mundi possibilem aeternitatem asserunt?*

(d) *Sunt ex Peripateticis aliqui, quibus ideo excusandus videtur ARISTOTELES, MUNDI AETERNITATEM professus, quod ratio sibi relicta uix aliter statuere queat. Interim & illi fallantur, qui mundum necessario in tempore factum esse, ex ratione demonstrare conantur &c. SYRB. cit. lib. P. II. p. 510. 511. Sicut artifex ante productionem habet intellectu formam, & similitudinem rei producendae, alias eam producere non posset; Ita DEUS nunquam extra se mundum formaret, nisi ipsam ideam mundi prius in mente sua teneret. At quoniam DEUS hanc mundi similitudinem non posuit aliunde ab aliquo extrinseco recipere, ideo ab aeterno eam in suo retinuit intellectu, atque perinde mundus est in DEO aeternus, atque id ipsum quod DEUS &c. Raemundus Sebundius de natura hominis Dialog. I. p. m. 23. 24. Rationes pro aeternitate Mundi quam plurimas, aliis ex fontibus hauistas, collectas lege in FRANCISCI PICCOLOMINI Librorum ad Scientiam de Natura atinentium P. II. p. 440. sequ. sequ. quae tamen simul dilutae reperiuntur c. I. p. 450. & sequ.*

(e) *Mundum aeternum non esse, sed corpisse, uel hac sola ratione demonstratur, quia res naturales omnes causam efficientem requirunt — cumque ex materia & forma constructus sit, ab ALIO conditus sit in temporis aliqua parte, necesse est, colligit MAGIRUS in Physiologia Peripatetica p. m. 108. Lib. II. Cap. I. §. 18. Idem sunt profecti argumentum JOH. CLERICUS in Pneumatol. Sect. III. Cap. V. §. 4-12. inclusi. pag. 118. sequ. Antonius le Grand in Institut. Philosoph. P. V. Artic. II. integr. p. 400 sequ. JOH. HENR. SUICERUS in Compendio Physicae Aristotelico-Cartesianae p. 70. sequ. §. 137. JAC. MARTINUS in integro Tractatu de prima Generatione. Frf. 1589. GERAR. de URIES in Exercit. Ration. de DEO &c. p. 185. sequ. D. JOH. HENRIC. HEIDEGGERUS in Exercitat. Biblic. Capelli, Simonis, Spinoesae &c. siue aberrationibus siue fraudibus opposit. p. 305. sequ.*

sequ. M. CHRISTOPH. Gangbansen in Disput. de Essentiarum aeternitate, Posit. I. II. & V. PLATO quod hujus quoque fuerit sententiae, euincere uoluit MICH. ANGEL. ANDRIOLUS in Libro, quem inscripsit: *Philosophia Experimentalis, Praeside PLATONE in Concilio Veterum & Neotericorum conuocato, s. Physica Reformata PLATONIS*, cujus tenorem der neue Vischer Saal etc. in der IVten Deynung Ao. 1710. num. V. p. m. 304. sequ. fusius pandit. Ac si nostri instituti, aut hujus loci foret, multos coaceruare Auctores, factu id esset haud difficile: sed nominabimus DUOS ex RECENTIORIBUS saltem, quorum hoc in passu maxime sunt commendandi labores, VIROS, insigni sacri atque Academici muneris dignitate in nostra ACADEMIA fulgentes, scilicet D. CHRISTIANI MASECOVII Dispositionem ex Lumine Naturae ad Supernaturalia, Disputat. XI XII XIII, XIV. a pag. 147-202. incl. nec non M. DAVIDIS VOGEL, jam D. & Profess. ut & S. Reg. Majest. in Borussia Concion. Aulici Secundarii Disputationem: *An Creatio Mundi ex Lumine Naturae demonstrari queat?*

§. V.

Rebus sic stantibus, inoffenso nunc licet progredi pede ad Problema nostrum Philosophicum, inquisituri:

An DEUS ante Creationem Mundi ALI-CUBI fuerit nec ne?

OBJECTUM atque SUBJECTUM quidem totius hujus Dissertationis sacram prae se ferre uidetur materiam, ast posito, ac, pro diuerso considerandi modo, concesso & hoc, nihilo tamen minus mihi tanquam PHILOSOPHO istud uitio uerti minime potest, quod materiam talem arte quadam *Logica*, ad clariorem ejus intelligentiam, applicatam tractauerim atque delineauerim.

§. VI.

§. VI.

Deriuationem uocis DEI hoc loco ostendere, ac quid per nomen DEI sit intelligendum, explicare uelle, idem esset ac prolixior, superuacaneum tamen in se fuscipere laborem. Quem enim latet, uulgarem hanc in Philosophorum accuratiorum libris de DEO reperiri descriptionem: *DEUS est ENS Summum & Perfectissimum, quod aliarum rerum omnium est principium & causa, a QUO omnia, quae in hoc mundo sunt, dependent, facta sunt, reguntur ac conseruantur?* (f) qua adhibita ceterae uocis huius ambiguitates facile corruunt. (g)

(f) Notetur hic loco omnium ARISTOTELIS de DEO cognitio: *DEUS non modo forma est atque actus purus, tantum uerus, tantum bonus, sed & substantia incorruptibilis, aeterna immobilis, indiuisibilis, forma & finis totius uniuersi; omnipotens, maxime beatus, omniscius, simplicissime unus & omnipraesens, intellectus purissimus & simplicissimus, Conseruator atque Director rerum omnium, sicut haec ex Operibus Ejus Collectanea nobis reliquit B. Prof. P. RABE in Cursu Philosoph. p. m. 1382. Cui uero Etymologiam uocis DEI fusius imbibere, ac significationem ejusdem paulo accuratius indagare uolue esset, is adeat inter alios Prof. Job. Christoph. Hundeshagen Theol. Natur. Disput. 1. Theol. l. §. 1. 2. 3. p. 2. 3. 4 M. JAC. TY-DAEI de Ente Infinito s. DEO, Sect. I Membr. II. & Articul. II. nec non KECKERM. System Logic. Plen. p. 320. & 513.*

(g) e. g. apud ARISTOTELEM DEUS uocatur homo aliquis, uirtutibus eminentissimis instructus, prae reliquis potentia, fortunis atque autoritate conspicuus, qui nullis eget subsidiis in hoc mundo, sed omnia habet necessaria ad uitam sustentandam, & non indiget aliorum ope ac auxilio; ita enim sonant uerba: *ὁ ἀπολις διὰ φύσιν, & ἔστι διὰ τύχην, ἔτσι Παῦλος ἐστίν, ἢ κρείττω ἢ ἐνθεωπ* &c., h. e. *qui absque ciuitate est per naturam, non per naturam est, aut nequam est, aut potior quam homo,* i. e. DEUS. Lib. I. Polit. Cap. II. lit. C. p. m. 380.

B

§. VII.

§. VII.

In partes uero suas Problema totum si resolvere uellemus, ne uerbulum quidem praeteruolare patiamur, duae exinde, negatiua prout una, affirmatiuae propositiones euaderent, quarum

Ima: *DEUS fuit*, IIda: *DEUS fuit ante Creationem Mundi*.
 IIIia: *DEUS non fuit ALICUBI ante Creationem Mundi*.

§. VIII.

Primam jam quod concernit propositionem: *DEUM fuisse*, (subaudi simul, *EUNDEM* adhuc etiam existere,) si diutius istius probationi inhaereremus, nihil magis, quam quod partim *notum*, partim *superfluum*, ad scopum nostrum parum faciens, adferremus, hinc missam plane istam facimus, ac in citatione *AUTORUM* (b) solummodo, qui negotium id sibi ex professo sumpsere, acquiescimus.

(b) De *Existencia DEI*, quae non tantum a posteriore, sed & a priore, ualidissime, uel ex *Lumine Naturae*, demonstrari potest, erudite satis scripsit RUARDUS ANDALA in *Synagmate Theologico-Physico-Metaphysico*, & Part. I. de *Existencia DEI*, & *Dissertat. Philosoph.* Ima de *Argumento pro Existencia DEI* a priore; quam ob rem non sine causa huius per-eximii libri mentio fit im *neuen Bücher-Saal der gelehrten Welt* IX. *Definung* No II. Ao. 1711. p. m. 807. sequ. quo in passu JOH. CONR. SCHWARZEN *Tractatus* etiam, cui Titulus: *Demonstrationes DEI quem ratio docet ac Scriptura sacra*, commendatur. c. l. p. 808. * consuli praeterea possunt GERARDI de URIES *Exercitationes Rationales*, inpr. IIda de *DEI Existencia* p. 9. sequ. RENATI des CARTES *Rationes, DEI Existenciam probantes, more Geometrico dispositae* in *Meditatio*. de prima *Philosophia* p. 108. sequ. Add etiam *Disputatio* prolixam non minus ac eruditam Prof. GISB. UOETHII de *Modis cognoscendi DEUM*, *Selectarum Disputationum PARTI* Vtae insertam, a pag. 455-525. inclus. &c. &c.

§. IX.

§. IX.
 Stabilita sic propositione prima, & adductis illis, quae ad Existentiam DEI penitus cognoscendam necessaria esse uidebantur, sponte sua sequitur propositionis secundae: DEUM ante Creationem Mundi extitisse (i) irrevocabilis ueritas. Et mundi & creationis mundi nunc quidem a me postulari posset definitio, ast cum utraque in citatis Autoribus ad nauscam usque reperiatur, operam perdere nolui.

(i) Praeexistencia DEI ante Creationem Mundi fuit ex Independentia DEI, quod est positivae a SE; quod autem sano in sensu capias uelim; leg. si placet, PETRI uan Mastricht Nouitarum Cartesianarum Gangraena. p. 276. sequ. Zach. GRAPPI Theolog. recens controuers. p. 79. sequ. Qu. XVII. An DEUS sit a SE IPSO POSITIVAE, SUIQUE CAUSA? Anton. le GRAND Institut. Philos. P. II. Artic. VII. §. 1. & 2. p. 157. 158. it. DAN. STAHLII Disput. Philosoph. IV. Reg. I. P. II p. m. 98. sequ. respice etiam, quae § 3. not. a. adduximus; praeter hos etiam euolu. D. MELCH. LEYDEKKERI Exercitat. Theolog. - Philosoph. Controu. X. An DEUS recte dici possit a SE Ipso esse positivae? p. 136. sequ.

§. X.

Restat ergo tertia, quae statum controuersiae in primis tangit, defendenda ac demonstranda *propositio*, cujus negatiuam hac uice tuemur sententiam:

DEUM ante Creationem mundi non fuisse ALICUBI.

Prius tamen, quam meam hic interferam opinionem, ac summorum Virorum mecum consentientium adferam testimonia, non abs re fore arbitror, nec male nec

facturum puto, si nominis ALICUBI evolutionem praemifero, hoc enim haud probe cognito, uix ac ne uix quidem rei illucescet ueritas, hoc uero adposito, luce propria radiabit propositionis nostrae infallibilitas.

§. XI.

Circa *Onomatologiam* igitur hujus uocis consideremus

I. *Etymologiam*. Breuis hacin re ut sim, ALICUBI uox est, ex ALIBI & UBI composita. Huic notationi nominis oppido addimus

II. *Synonymiam*. ALICUBI esse idem est, ac loco quodam contineri, siue, in loco esse, τὸ Alicubi enim aliquem constanter inuoluit respectum ad UBI. Quoscumque uero jam consulamus PHYSICOS, uel etiam LOGICOS, definitionem τὴ UBI cum τὴ ALICUBI combinatam ut plurimumprehendimus. (k)

(k) UBI est modus, quo res finitae ALICUBI esse dicuntur. Fr. Burgers Dycki Institut Logie. l. I. c. IX. Praedicamentum UBI est, in quo collocantur res, in concreto connotantes modum, seu circumstantiam loci. BARTH. KECKERMANNI System. Logie. Plenior. Lib. I. Cap. XIII. p. m. 117. siue breuius ac clarius: Praedicamentum UBI est, in quo sunt res connotantes circumstantiam loci. System Logie Min, Lib. I. Cap. IX. p. m. 587. UBI est notatio loci, qua quid dicitur esse, ALICUBI, hic uel illic, ibi uel alibi. B. Prof. RABEN Dialect. p. 60. §. 45. Non noua aut insolens hujus uocis est explicatio, quippe jam sua tempestate calculo suo nostram dignam censuit ARISTOTELES: Etenim quae sunt, omnes existimant ALICUBI esse: quod uero non est, nusquam esse. Ubi enim est Hierocerus aut Sphinx? atque motuum communis maxime, maximeque proprius secundum locum est, quem uocamus Lariogram. Lib. IV. Physic. p. 489. E. circa quae uerba simul tamen anno.

73

annotamus, nos *uniuersalitatem* omnium atque singularum harum propositionum cum ARISTOTELE defendere nolle; leg. hic, quae propterea annotauit *Anton. le Grand* in Institut. Philosoph. &c. P. II. Artic. VIII. p. 161. sequ. *Der Ort eines Dinges ist die Art und Weise / wie ein Ding neben andern zugleich da ist*; scribit Celeb. CHRISTIAN. WOLFFIUS in den vernünfft. Gedanck. von Gott, der Welt &c. Cap. II. p. 23. §. 47. Quod si uero contra quaslibet a nobis luci praesenti expositas *ubi* definitiones sequens moueretur Instantia: *UBI est esse in loco, adeoque rursus distinguendum est a loco. Alia tamen rursus significatio uidetur, quando de π Spirituum quaeritur, uerbi causa.* Prof. JOH. JAC. SYRBIUS in Institut. Philosoph. Prim. p. 528. §. XIX. siue: *Nihil aliud significat π Alicubi esse, quam in aliquo loco esse, per spatium aliquod extensum esse &c. adeoque corporeo modo quantum esse.* Id enim quamuis daretur uerum esse de *UBI corporum*, nulla tamen inde ad *Ubi Spirituum* formari potest consequentia. GERH. de URIES in Philosophem. Miscellan. p. 330. fin. Respondemus tunc cum Prof. JAC. MARTINO: *Recte SPIRITUM definimus, quod sit substantia simplex, incorporea & materiae expers, de Loco Lib. II. p. m. 526. At spiritualis natura, siue Spiritus, qui corpori oppositus est, nullo modo est diuisibilis, neque per se, neque per Accidens, quia omnem corpoream conditionem respuit: & contrarium a nullo demonstrabitur.* l. c. p. 655.

§. XII.

Statu controuersiae hoc modo formato, negatiuam nostram defendimus sequentibus inducti rationibus:

Imo. DEUS ante Creationem Mundi non fuit ALICUBI, quia IPSI nec *definitio* UBI, nec ALICUBI competit. (1)

(1) Audiamus hic loquentem AUGUSTINUM: *DEUS, inquit, non est ALICUBI. Quod enim ALICUBI est, continetur LOCO; quod continetur loco, CORPUS est. DEUS autem non*

est Corpus. Non igitur ALICUBI est: & tamen quia est, & in loco non est, in ILLO sunt potius omnia, quam IPSE ALICUBI: nec tamen ita in Illo, ut IPSE sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine & latitudine, & altitudine corporis occupatur; nec DEUS tale aliquid est. Et omnia igitur in IPSE sunt, & LOCUS non est. Tom. IV. Lib. Octoginta trium quaestionum, qu. XX. p. 537. Firmissima ex his nimirum citatis uerbis exultat collectio: Si NUNC ne quidem DEO competit definitio r̄s Alicubi, ubi uniuersus mundus & locis & spatiis est quam refertissimus, multo minus de DEO dici potest, quod ante Creationem Mundi ALICUBI fuerit, ubi nec locus quispiam, nec spatium ullum in rerum natura adhibendum fuit; de priori tamen controuersia, quia extra sphaeras Dissertationis nostrae uersatur, parum nos iam sumus solliciti. Subiectum, de quo dicitur, quod sit Alicubi, non est res intellectualis seu incorporea, sed corporea tantum, siue materialis, quae in longum, latum & profundum est extensa, differit CLAUBERGIUS de Cognitione DEI & Nostri, Exercit. LXVI. in quaest. An omne quod est, ALICUBI sit? §. 2. Uere ergo ac proprie DEUS non fuit ante mundum conditum in Ubi, consequenter nec Alicubi.

§. XIII.

Argumentum Iidum desumptum esto a uulgari r̄s Alicubi distinctione in Circumscriptiuum, Definitiuum & Repletiuum. Medium exinde, si syllogisticis compedibus inclusum proferretur, ita se haberet:

Si DEUS fuit Alicubi ante Creationem Mundi, debuit ibi esse uel circumscriptiue, uel definitiue, uel repletiue,

Ast DEUS neque fuit Alicubi circumscriptiue, neque definitiue, neque repletiue ante Creationem Mundi,

Ergo plane tum non fuit ALICUBI.

Majoris

35
Majoris Consequentia duplici huic probationis innititur fundamento:

(a.) Nemo enim accurate loquendo dicitur esse *Alicubi*, nisi cum respectu ad aliquod *UBI* a se ipso distinctum.

(β.) Haud ita facile plures aliue *Ubicationis* (si phrasi aut uocula hac uti licet,) modi, praeter *hos tres* adductos nominari poterunt.

Minoris ueritas inde pater: *DEUS* non fuit ante Creationem Mundi *Alicubi circumscriptiue*, hoc etenim est proprium *Corporum*, neque fuit *definitiue*, quippe quod *Angelis* solis *smntis* competit; nec etiam fuit *repletiue*, quoniam *DEUS* fuit sibi *Ipsi & locus, & mundus, & omnia, nullum* enim tunc exstabat *spatium reale* a *SE* distinctum, in quo tamen esse debebat *Enter, Praesenter & Potenter*, juxta uersiculum Orthodoxis in explicanda *Omnipraesentia diuina essentiali* ualde tritum:

Enter, Praesenter, DEUS Hic & Ubique Potenter.

§. XIV.

Plura in praesentia, pro corroboranda hac Thesi mea, facillimo cum negotio, in scenam producerem argumenta, nisi istorum potius compendium, ob Objectionum mox subsequantium cateruam, faciendum esse mihi persuasus forem; ultimo igitur loco ex hoc ita colligo medio:

Si *DEUS* *Alicubi* fuit ante orbem conditum, *spatium super Caput Creatoris fuit olim superstes, DEUS ipse in loco fuit, mundum in loco fecit, & locus ille jam erit, si non major mundo, certe pari magnitudine,*

Ast non nisi absurdae sunt haec, ex falso *ANTECEDENTE*:

TE: DEUS alicubi ante eonditum mundum fuit, profluens propositiones,

Ergo *Consequens* aequè *absurdum* existit ac *Antecedens*, salua interim manente *Consequentia Majoris*, quam in prioribus §§. fat (ut puto) demonstratam legere licet.

§. XV.

His ita positis, ac fundamenti ad instar jactis, omnia, quae supra de Problemate nostro Philosophico: *An DEUS ante creationem Mundi alicubi fuerit, nec ne?* adducta fuere, pro destructione in totum *affirmatiuae* sententiae fuisse allata, neminem latet: jam igitur cum illis congregandum erit, qui, DEUM ante *Creationem Mundi fuisse ALI-CUBI*, pro aris & focis militant. Scinduntur uero nostri *Contradicentes* in duas praesertim partes, quarum altera *DEI Alicubietatem ante Creationem Mundi simpliciter* defendit, altera eandem in *spatiis Imaginariis* collocat. Classsem aduersariorum *primam* quod concernit, equidem speciosa admodum isti afferre sciunt argumenta, quae non legentis modo animum occupare, detinere ualent, sed & adeo suam colorare possunt sententiam, ut ferme plures in eandem libentissime duobus abeant pedibus: quicquid tamen hujus rei sit, tantum abest, ut istud mihi patiar persuaderi, ut ne audire quidem sustineam; hinc, cum *ueritatis* portiores, quam uel *eruditionis*, uel *antiquitatis*, uel *auctoritatis* etiam partes arripere nos deceat, nec mihi uitio uersum iri confido, si liberius hanc, quae tot tantisque Patronis nititur, inueteratam sententiam, non ex insanabili rixandi caecoethe, sed quo in honestiorem utilioremque concertationem abiret, (salua cum sit dissentendi libertas), sub modestum examen reuocauero, ceteroquin iudicio Lectoris

17
ris harum rerum periti . & a praeconceptis opinionibus
uacui , mea lubentissime submittens asserta.

§. XVI.

Ad ordinem in hisce recensendis quod attinet , eo
ordine illas proponere iuuabit contradictiones , quo olim
in utramque partem , *non sine animorum acerbitate* , hac de
materia fuere uentilatae . Agmen istarum ducat

Objectio *Ima.* *Ubi alicubi* non semper *locationem* , *lo-*
cum , *spatium reale ab Ipso DEO* realiter distinctum significat,
(*m*) nec ullum alium respectum habet , nisi ad *Ipsum DEUM*.
(*n*) Resp. (*a.*) Ejusmodi loquendi formula , quae nil po-
sitiue aut definitiue ponit , mihi haud arridet , fluctuantem
potius ac ambigentem satis ostendit animum.

(*β.*) Sibimet ipsi contradicit Autor iste . Dum enim
ante *falsum* pronuntiat suppositum : *Nemo accurate dicitur*
esse alicubi , nisi *cum respectu ad aliquod Ubi a se ipso distin-*
ctum , quod pro uero adlumpsumus §. XIII. mox easdem no-
biscum tibias inflat , dicendo : — — ad illam inter-
rogationem : *Ubi tunc erat* , respondendo . *Ubi* , & conse-
quenter *Alicubi* &c. &c. Theologos , quid hac de re sen-
tiant , attingere nolo , quia *philosophice* per totam ire dispu-
tationem animo stat propositum , interim AUGUSTINO
quod alienam affinxerit mentem citatus iste AUTOR , ex
§. XII. Dissertationis nostrae not. I. est inuenire ac cer-
nere.

(*γ.*) *Aliquid conceptibile seu imaginabile* , *aliquid possibile*
aut possibilitatem habens , si tantummodo AUTOR con-
cedit , *cujus respectu intrinseco DEUS ante mundum conditum*
conspiciatur fuisse ibi & alicubi , *imaginationi* istius ut ita
acriter

C

acriter ac pertinaciter resistamus, quae saepe funestos in lucem protrudit abortus, jam non erit operae pretium, quippe nos, uelut Ille de *possibilitate* saltem suae hypotheseos sibi gratulatur, gaudentes de *ueritate* nostrae Antitheseos certi esse possumus, firmissimo uerissimi Canonis Philosophici, a quo nec latum quidem pilum recedimus, fulcro suffulti:

Non Entis nulla sunt praedicata.

- (m) Ego enim nihil reale, siue illud spatium, siue Ubi dicatur, quod realiter a DEO distinctum ante Mundi Creationem existisset, admitto, in select. Disputat. P. V. Problemat. de DEO, in specie, de praesentia seu ubi-estate DEI ante Mundi Creationem, p. 132. Nemo accurate dicitur esse alicubi, nisi cum respectu &c. Resp. Hoc falsum est. Cum enim quaeritur, ubi erat DEUS ante mundum &c. ubi nunc est extra mundum; An non responderi potest, ibi erat, ubi nunc est; & ibi est, ubi mundus non est, nec ullum Ens praeter DEum. cit. libr. p. 134.
- (n) Meum alicubi nullum respectum dicit ad aliud quod reale nisi ad Ipsum DEum; qui dum est & dicitur esse in ipso, quippe qui Ipse sibi sit locus aut spatium, concipitur & dicitur ad illam interrogationem: UBI tunc erat, respondendo, Ubi & consequenter alicubi, in illo scilicet & nullo alio, Ubi, spatio, loco, quod Ipse DEUS sibi esse dicitur a Theologis cum Tertulliano & Augustino. Quae phrasid non magis est propria, quam mea aduerbia: alicubi, ibi, illic. c. l. p. 135. Aliquid enim, praeter DEUM, reale aut aliquid existens, aut essentiam actualem habens, cujus respectu intrinseco DEUS concipitur & dicitur fuisse, ibi & alicubi, NEG0; aliquid conceptibile seu imaginabile, aliquid possibile aut possibilitatem habens, CONCEDO. ID. ib.

§. XVII.

Objectio *Ita* fit sequens:

AN

An non per *Ubi & Ibi* quaerendum & respondendum? Et si *Ubi*; an non inde infertur τὸ *Alicubi*? An non ex τὸ *Ubique* infertur *Alicubi*? (o)

Resp. I. τὸ *Ubi & Alicubi Relata*, & quidem strictè sic dicta, rectè dici, supra uberius fuit ostensum, hanc igitur *intermediam* non possumus non affirmare collectionem: *Si Ubi; an non inde infertur τὸ Alicubi?* nec simpliciter negandum, per *Ubi & Ibi quaerendum & respondendum* esse, quod uult Contradicens nostri propositio *prima*, sed quid inde? Res redit semper in circulum, ac perpetuo fallacia committitur petitionis τὸ ἐν ἀρχῇ, dum *contrarium* de DEO, per *Ubi & Ibi* nec *quaeri* nec *responderi* posse, nostras hac in re qui tuctur partes, haud infirmis rationum euicit fundamentis D. SAM. MARESIUS p. 42. 47. 71. sequ. libri jam saepe a nobis commemorati. Uestigia hujus Viri legisse uidetur ANTONIUS le GRAND, qui etiam ad hanc inclinât sententiam, in *Institut. Philosoph.* P. II. ARTIC. VIII. p. 162. sequ. Aliorum, idem sententium, breuitatis studio, silentio inuoluo scripta. Euicto ergo hoc sponte sua ruit in hanc propositionem congesta moles:

Resp. II. *Si Ubi, an non inde infertur τὸ Alicubi?* Negato enim τὸ *UBI* de DEO, negatur pariter de *ISTO & τὸ ALICUBI*, juxta ipsissimam Opponentis nostri collectionem.

Resp. III. Quaestio haec: *An non ex τὸ Ubique infertur ALICUBI?* utut *affirmatiue* exhibeatur ab Interrogante, minime gentium tamen a nobis expectetur uel exigatur ejusdem *affirmatio*, qui *negationem* istius plus *efficere*, ac ob adducendas jam rationes *sufficere* posse putamus.

C 2

Etenim

(a) leg. select. Disput. cit. P. V. p. 134.

Etenim uero (a.) capi potest uel a stupidissimo, $\tau\acute{o}$ *Ubique* non ponere, sed potius euertere $\tau\acute{o}$ *Alicubi*. Qui enim pollut rerum humanarum scientia ac mentis perspicacitate, facillimè deprehendent, *Ubique* quidem *omnia Ubi* praesupponere, at simul $\tau\acute{o}$ *Alicubi* cum *Ubiquitatis* diuinae modo apertam contradictionem implicare.

(β .) $\tau\acute{o}$ *Ubique*, (quod ante mundum conditum concipi debet,) hoc respectu, ut Consequens sit *Alicubi*, uix ac ne uix DEO assignari potest. Cum enim *Ubique* dicatur ab *Ubi*, quod est determinatio ac terminus loci, & ex $\tau\acute{o}$ *Ubique* inferri debeat $\tau\acute{o}$ *Alicubi*, quomodo quaeso DEUS dici potest fuisse *omnibus in locis* ante conditum mundum, ubi loca, eo quod non fuerint in rerum natura, nec existere a DEO realiter distincta. *Nam meo quidem iudicio Ubiquitas nihil est aliud, quam externa locorum siue $\tau\acute{o}$ Ubi creatorum relatio ad DEUM, quae ante Creationem actu non erat; uti iam post creationem actu est*, ait Prof. JAC. MARTIN. de Loco Lib. II. p. m. 643. ne hic loci attingam istorum controuersiam, qui DEUM melius dici *omnipraesentem*, quam *Ubique esse*. Leg. D. CHRISTOPH. WITTICHII Theolog. Pacific. Cap. XV. pag. 175. sequ. D. HENR. MÜLL. Theol. Scholast. p. 78. Prof. JAC. MARTINI Praelect. Extempor. in Syst. Logic. Barth. Keckermann. p. m. 238. sequ. nec uel ullo uerbo commemorem de *modo* Omnipraesentiae diuinae, quem innuunt citati modo Auctores D. CHRIST. WITTICH. l. c. p. 177. sequ. GERH. de VRIES. Disquisit. de Nullitate Spirituum p. 326. §. XI. it. pag. 345. sequ.

(γ .) Tamdiu falsa manet propositio: *DEUM ante mundum conditum fuisse Alicubi*, quamdiu ex $\tau\acute{o}$ *Ubique* non inferitur

21

infertur *Alicubi*, & firmo stat talo haec collectio: Quicumque est *Ubique*, Ille non determinatur certi $\pi\delta$ designatione, ita ut dum *hic* est, non possit esse *alibi*, sed ab omni $\pi\delta$ est interminabilis, sicut recte argumentatur D. HENR. MUELLERUS in Theolog. Scholast. p. m. 65.

§. XVIII.

Facili mihi quidem nunc ulterius ostendendum ueniret negotio, quomodo *reliquae Objectiones* breuiter discutiendae ac pro uirili excutiendae forent: uerum, sicut haud sustineo singula ac in uniuersum omnia examinare argumenta, (uerens, ne labor hicce in ingentem modo excrescat molem;) ita ne breui heic locorum quidem narratione eadem comprehendere studeo, sed simplici istorum citatione LECTOREM ad Theses istas pro & contra uentilatas solummodo ablego; (p) quandoquidem non inuitus concedo, & multa a Patronis absurdac hujus sententiae accumulari, quae (si non dicam,) moriam sapiunt, non aliquam ad minimum tamen probabilitatis speciem prae se ferunt: (q) & citati praeprimis Contradicientis Objectiones in *Concessiones* ultimato resoluui; (r) quid quod accedit insuper & hoc, quod nonnulla aliqua ex parte ad *Theologiam* respectum inuoluant *Reuelatam* (s): quare ultimi causa eo libentius ab horum argumentorum pertractatione in praesens me immunem reddo, quo grauius eorundem recensione delicatas LECTORIS aures offendere uerecundor.

(p) Prof. GISB VOETIUS in *Select. Disputat.* Part. Vta a pag. 132-136. inclus. D. SAM. MARESIUS in *Fasciculo Myrrhae* a p. 43-49. incl.

- (q) Leg. cit. MARES. lib. cit. in Paradox. I. *Quod DEUS ante Creationem Mundi ALICUBI fuerit*, Refutat. p. 44. 45. 47.
- (r) *Proprie ubi, ibi, alicubi, hic, ubique, spatium, locus, esse in spatio reali &c. DEI immensitati tribui non possunt: —*
Nos cum alicubi enuntiamus de DEI existentia in mundo, aut extra mundum aut ante mundum, non dicimus nos proprie loqui, sed ut possumus. Prof. VOET. c. 1 p. 134.
- (s) *Evolv. & modo memoratus VOETIUS in cit. libr. p. 134. & 135. & prius etiam nominatus MARESIUS p. 45. 46.*

§. XIX.

Ad nonnulla tamen aliorum Antagonistarum argumenta, quae non ita facile delere hic possumus obliuione, respondere etiam, non erit ire per extensum funem. *Instabis forte, quale ergo erit rō Alicubi Spirituum, si non aliquam inuoluit extensionem? Nil aliud esse rehero, quam tale eorundem attributum, quo per essentiam suam in rerum corporum spatii, seu ueris seu possibilibus, existunt modo indiuisibili. Notatque adeo, ut uerbo dicam, spiritum absque extensione sui esse, ubi corpus est, uel esse saltem potest. Ita u. c. Anima nostra in corpore humano est; tanquam in suo Ubi, quatenus essentia sua corpori ejusue spatio intime ac uere coexistit, sed naturae suae spiritali conuenienter, id est, absque sui partibus. Sic quoque DEUS, etiam ante mundum conditum, Alicubi fuit, quatenus Ipse infinitus omnisque extensionis expertus uere tunc extitit, ubi nunc mundus est, tunc esse poterat; sic, ut si quando mundus existeret, uere illi essentia sua coexistere. Quae, cum clarissima sint & distinctissima, quomodo non capiantur a mente nullis praejudiciis occupata, equidem miror; objicit sibi ac etiam respondet Professor quidam*

quidam Philosophus Ultraject. (i) Resp. Nec huic dubio remouendo uires nostras impares esse iudicemus: Argumentum enim hoc non tam ualidum deprehendo, quam sibi forte persuadet Autor iste. Uerum enim uero

(a.) Assumamus utramque: vel *hanc*: *ò Alicubi Spirituum* nil aliud est, quam — uel *illam* definitionem: *ò Alicubi Spirituum notat Spiritum absque extensione sui esse, ubi corpus est, uel esse saltem potest*, nullatenus tamen ea ipsa demonstratione AUTOR Hic scopum suum obtinet; Ut nil enim jam moneam de contradictoria istorum opinione, qui *extensionem sine corpore esse posse* statuunt, (a) castra Viri hujus ut deferamus, mens Ejus nos cogit admodum uariabilis. (x)

(b.) Simile de anima hoc loco ualde est dissimile; partim, quod *essentia ejus corpori humano ejusue spatio intime ac uere coexistere* dicitur, (quod tamen de DEO tutius afferri posse ipse negat Autor,) (y) partim quod juxta communem doctiorum Philosophorum applausum, *Spirituum* ueluti longe splendidior prae *anima* humana statuitur natura, ita *excellenior* multo DEI *essentia* & prae *anima* & prae *Spiritibus* describitur. (z)

(y.) DEUS ante mundum conditum *Alicubi* fuit, quatenus Ipse *infinite* omnisque *extensionis* expert uere tunc exiit, *ubi nunc mundus est, tunc esse poterat*. Mirae sane hae sunt propositiones! Si enim

(i.) DEUS *infinite* omnisque *extensionis* expert uere tunc exiit, *eatenus, quatenus talis fuit*, non fuit *Alicubi* ante mundum conditum, hoc enim *infinite* *essentiae* *diuinae* contrariari est in propatulo.

(2.) Non

(2.) Non possum hic satis mirari ac demirari, propositionem: uere tunc existit, illico efferri per phrasin tunc esse poterat, ac sic *uere existere* ab hoc Philosopho confestim conuerti in propositionem minus aequipollentem, *uere posse existere*.

(3.) Clausula, quae additur: *sic, ut si quando mundus existeret, uere illi essentia sua coexisteret, Alicubietatem & essentialem DEI praesentiam* mundo condito coexistentem eloquitur, & sic statum controuersiae immutat, siquidem in antecedaneis uerbis de Alicubietate DEI *ante* non uero *post* mundum conditum professus erat.

Alteram, quae nobis hac uice sit *ultima*, ex Ludou. le Blanc Theolog. Sedanens. in Disputat. de Immenfitate DEI 2 Nouembr. 1654. Resp. J. Pirhoys §. 23. petitam objectionem, prouti D. VOETIUS in Problem. de DEO Tom. V. select. Disput. eandem nobis communicat p. 133. *Ante mundi creationem DEUS uel omnem locum possibilem implebat; & ita erat, estque hodie ubique: uel nullum implebat, & ita non erat, sicut enim si nullum unquam temporis momentum possibile fuisset, de quo dici potuisset: DEUS nunc est, DEUS non esset: sic si nullus usquam locus possibile fuisset, de quo dici potuisset, DEUS hic est, DEUS pariter non esset: uel aliquem implebat, aliquem non implebat; quo posito multa sequerentur absurda &c.* sequentem in modum soluimus:

(1.) Non nisi *ridiculae* haec instituitur argumentatio: Ante mundi creationem DEUS uel *omnem locum possibilem* implebat, uel *nullum* implebat, uel *aliquem* implebat, aliquem non implebat; quia enim *tunc locus nullus* fuit, nec *omnis*, nec *ullus*, nec *aliquis* impleri potuit, negata uero
tum

tum temporis loci *existentia*, tollitur simul ejus *possibilitas*. Vid. Annot. sequ. not. (bb)

(2.) Alia ratio est *actualis & possibilis* loci, hinc a *possibilitate* loci ante mundi creationem, (juxta Differentientis formam Syllogisticam) *Ante mundi creationem DEUS uel omnem locum possibilem implebat, ad actualitatem* loci praesentem, & *ita erat, estque hodie ubique*, non ualet Consequentia. Praeterea an argumentatio haec ingenio talis Viri digna sit, alius, non ego, judicet.

(3.) Propositio isthaec: *uel nullum locum implebat, & ita non erat: sicut ei im — — sic si nullus usquam locus possibilis fuisset, de quo dici potuisset, DEUS pariter non esset*, est quam falsissima. Enim uero

(a.) Dicitur ante mundi Creationem non potuit: *DEUS hic est*, quia nullus denominari potest locus, in quo DEUS fuerit commoratus, num uero exinde colligendum: Ergo DEUS plane non fuit.

(β.) Concipiat mihi quispiam *Alicubietatem Repletiuam*, qua DEUS per naturae immensitatem ita adfuerit omnibus *ubi*, ut non potuerit non illis adesse, ubi nullum *Ubi*, nullus locus adhuc fuit creatus, quem adessentia sua uniuersali DEUS implere potuit: propterea autem, quia nullus usquam tum temporis locus fuit possibilis, de quo dici potuit: *DEUS hic est, DEUS pariter non esset*. Haud sequitur.

(γ.) Certo respectu & nostris temporibus DEUS dici potest *ubique esse, & nullibi esse*, quis uero juxta phrasin posteriorem: DEUS est *nullibi*, existentiam DEI negaret? pari itaque modo nec haec *ante Creationem mundi* procedit collectio: *si nullus usquam locus*

possibilis fuisset, de quo dici potuisset, DEUS hic est, DEUS pariter non esset. Ad Simile de temporis momento possibili: DEUS nunc est, ergo est, & vice uersa, similis, quae ad locum possibilem data est, quadrat responsio; Recte uero utrumque combinamus Simile, dicendo: Sicut DEUS non erat TUNC, ubi non erat Tempus, ita nec erat ALICUBI, ubi nec Ubi erat, nec locus, nec spatium;

Abstrahē sic, PHYSICUS si cupis esse bonus.

- (t) GERARDUS de VRIES in Philosophemat. Miscellan. Disquisit. de Nullitate Spirituum p. 330.
- (u) Citat hujus sententiae asseclas JOH. CLERICUS in Phys. Lib. V. Cap. II. p. 195. Contrarium tamen cum aliis, qua in re & nos consentimus, defendit JOH. HENR. SUICERUS in Compendio Physicae Aristotelico-Cartesianae §. 20. 21. 22. p. 8. sequ.
- (x) Obseruandum, fore omnino Spiritus Alicubi, etiamsi soli existerent. quatenus essentia eorum esset, ubi corpora esse possent, ita ut, si haec producerentur, Spiritus iudem uere coexisterent, quod ad Ubi Spirituum concipiendum sufficere, ante fuit dictum. Atque hoc sensu Immensus DEUS etiam ante creatum mundum extitit Alicubi, quoniam fuit, ubi tunc fuit nihil, corpus tamen esse potuit. GERH. de VRIES c. l. p. 235.
- (y) Immenstatem UNIUS DEI praerogatiuam esse, liquet, eo quod ratione r̄ Alicubi includat infinitatem. At nulla cuiuscunque infinitatis species locum habere potest in essentia finita. In Exercit. Ration. IX. p. 81. Adde Ejus Dissertat. de INFINITO Sect. Prior. in Dissertat. Academ. p. 264. sequ. nec non Sect. Poster. p. 303. sequ. it. 307. sequ.
- (z) Anima enim existit in corpore, etiam in eis ipsis spatiis, quae actu occupantur a materia. Angeli autem nullam quan-

quantitatem, nullam dimensionem habent, circumscriptionem tamen Ubietatis speciatim sic dictae competit Spiritibus, & discriminatur ab existentia in loco, corporibus, ut materialia & corruptibilia sunt, competente. DEO uero, quia infinitus essentia est, neque ratione quantitatis, neque loci, aut Ubietatis speciatim sic dictae, (explicationem hujus Ubietatis leg. ap. MUELLER. in Theol. Scholast. p. m. 62. sequi circumscriptionem talis competit. Legi insuper potest LEYDEKKERI Pax Veritatis, Controvers. III. integra, p. 312. sequi.

§. XX.

Haecenus cum prima aduersariorum classe fuit disceptatum, nunc reliquum esse uidetur, ut in hostium armatorum secundae classis inquiramus mentem, quia Objectionum illarum talis est cohaerentia, ut posteriori non satis capere possimus sententiam, nisi prioris opinionis explicationem attento animo audierimus; sed de eo jam paucis adhuc circumspiciendum erit, quia instituti nostri ratio finem operi imponere jubet. Multa de *Spatiis imaginariis*, in quibus DEUS ante mundum conditum latuerit, inter scrutatores est disputatio. Alii enim, qui negotium omne in eo conficiunt, ut DEUM, sicut jam spatia imaginaria extra mundum ponenda sunt, in quibus DEUS sit, ita etiam ante mundum conditum in iisdem fuisse, omnibus demonstrantur uiribus; (aa) Nec minus alii in eorum habentur numero, qui non tam actualem quam possibilem DEI ante mundum conditum in spatiis possibilibus praetendunt ac urgent existentiam: (bb) Ordinem nonnullorum aliorum alio ex capite spatia & imaginaria, & possibilia sibi imaginantium ac persuadentium lubens dese-

ro, ut huc non referam maxime *intricatam*, a Viris tamen eruditione ac singulari iudicio haud *uacuis* de *Uacuo* possibili jamdudum explosam, ac monstro sententiae uel a *Gentilium Scriptore* similem aestimatam, cui ceu fundamento sua *possibilia* superstruunt *spatia*, doctrinam. Cui lubet oculis interea hancee perlustrare materiam, praeter alios fere innumeros, is consulat JOH. CLERICI Physic Lib. V. Cap. II. integr. p. 195 sequ. JOH. HENR. ALSTEDII Encyclopaed. Lib. VII. Physicae PART. I. Cap. XI. Reg. VI. p. 416. & 417. it. Part. VIII. Cap. IV. Reg. IV. p. 666. sequ. ARISTOT. Tom. I. a p. 498--507. Tom. II. pag. 1177. E. ANTON. le GRAND Institut. Philos. P. IV. Artic. XIV. p. 333. sequ. HENR. HORCHII breu. Itag. ad penitiorem Theoriam Naturae §. 23. SUICERI Comp. Phys. §. 17. p. 6. sequ. JAC. MARTINI Libr. II. de Loco, Cap. IX. p. 394. doctam non minus Disserationem Philosophico-Rationalem Prof. JAC. WILH. FEUERLINI de *Spatio Uacuo*, *Ideam Lockii* examinantem, Altorf. Noric. Ao. 1717. editam, ubi largam *Autorum* aeque ac uariarum *opinionum* ista de re deprehendet messem. Sicut uero *multitudo errantium non parit errori patrocinium*, ita ad *prioris utriusque absurdum* quod pertinet defensores sententiae, *de mentis potestate dejectos eos esse* jure ac merito arbitramur; *alteram* uero opinionem, quam angue canequae pejus uitamus, flocci pendere haud erubescimus, quippe isti indelebilem eo ipso infamiae sibi maculam affricant, grauiore cum in contrarium, quae praeualent, adferri possint rationes; (cc) & cum non conjecturae, uerum
demon-

demonstrationi locus tantum sit dandus in iis in primis rebus, ubi diffensu multorum uexata quidem euadit, non autem uel ullo modo probabilis aliqua redditur sententia, praeualentibus istis rationibus alias adhuc dum interferere superfedemus, ne ad augendum solis splendorem candelam accendisse uideamur, cum haec de Spatiis istis dignoscendis, eorumque coloribus exprimendis sufficere, ac qui uidentur aduersarii, nobiscum amice conciliari tali modo possint: si non, philosophantium quilibet satis perspicue ex reuolutione sententiarum sibimet inuicem oppositarum penetrare ualeat, quid distent aera lupinis. Litem uero hanc meo iudicio rectius uix dirimi posse existimo, quam si strenuos spatiorum & imaginariorum & quorumcumque aliorum Propugnatores, sequenti, qua sunt digni, no-remus animaduersione, iusta dimittamus castigatione: An forte substantiam DEI, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea sicut de DEO sentire dignum est, fatentur, incorporea praesentia ubique totam a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, & uno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in haec uaniloquia progressuros. &c.

(aa) *Objectiones illorum magna in copia occurrentes, una cum responsionibus ad easdem doctissime repositis, conjunctim annotatas legas in saepius jam citati D. MARESII Fascic. Myrrhae Paradox. 2do à p. 50--74. GERARD. de VRIES in Exercit. Ration. de DEO diuinisque Perfectionibus, Exercit. IX. de DEO IMMENSO. p. 74. sequ.*

(bb) *In catalogum horum referendus est ESSENIUS Sy-*

stem. Theol. P. I. Tit. de DEO, Disput. II. §. 59. juxta citationem D. VOETII libro saepe citato p. 133. ubi ex Ipsius mente ita loquitur: *Existencia DEI & praesentia ad Se Ipsum & quasi diffusio ante mundum conditum, eadem omnino fuit, quae nunc est, mundo existente &c. ante mundum conditum erat DEUS, ubi nunc in spatiis, quae nunc sunt actualia hujus mundi, tunc autem erant possibilis; neque solum in istis possibilibus; sed aequè in omnibus per absolutam Ipsius potentiam possibilibus; hoc est, secundum rem in se ipso infinito sibi sufficientissimo.* Ut jam hic non dicam, male praesentiam DEI per diffusionem explicari, utpote quae duo uocabula non esse Synonyma, suo jam rectè annotavit aeuo Prof. JAC. MARTINUS in Praelection, Extempor. Lib. III. Sect. 3. p. m. 882. refutationis ergo de *possibilitate* spatorum ante mundum conditum, uerba solummodo adduco Cel. Christ. Wolffens/ quae habet in den vernünfft. Gedand. von GOTT/ &c. Wenn ich erkenne / daß etwas möglich sey / so kan ich deswegen nicht annehmen / daß es wirklich da sey / oder vor da gewesen / oder auch künfftig kommen werde. Es muß also auffer der Möglichkeit noch was mehrers dazu kommen / wenn etwas seyn soll / wodurch das Mögliche seine Erfüllung erhält. Und diese Erfüllung des Möglichen ist eben dasjenige / was wir Wirklichkeit nennen Cap. II. p. 8. §. 13. & 14.

(cc) Leg. cit. prius MARES. loco ac libro cit. a p. 50--58.

JOH. HENR. SUICERUS in Comp. Phys. p. 67. §. 133.

(dd) August. Lib. XI. de Ciuit. DEI cap. V. p. 611. 612. Tom. V. & LUTHERUS: Wir sagen / daß GOTT nicht sey ein solch ausgestreckt / lang / breit / dick / hoch / tieff Wesen / sondern ein übernatürlich / unersorschlich Wesen / das zugleich in einem jeglichen Körnlein gang und gar / und dennoch in allen / und über und auffer allen Creaturen sey / darumb darffte

darffs keines Umbzäumens hie u. Ein Geist ist der
Gottheit viel viel zu weit / und Könten viel hundert
Gottheiten (si soil darentur,) drinnen seyn / wieder-
umb auch viel zu eng / daß eine Gottheit drinnen
seyn kan / nichts ist so breit / Gott ist noch brei-
ter / nichts ist so schmal / Gott ist noch schmaler
&c. &c. Tom. III. Jenens. fol. 61.

§. XXI.


Atque ita Problematis Philosophici: *An DEUS ante Creationem Mundi ALICUBI fuerit, nec ne?* ambitum sum emensus, non quod nihil reliquerim intantum, uel acu retigerim omnia, (tantum enim mihi non arrogo,) sed quod *potiora* adtulerim, reliquis interea maxima ex parte ad allata referendis. Quod quidem opus siquis *laboriosum* magis quam *ingeniosum* dixerit, is me secum facile habebit consentientem, qui scrupulosiora detegere iudicia malui, quam infantes chartas ingeniosis opplere nugis. Hanc enim ipsam Disputationem ita comparatam esse confidimus, ut pios & moderatos LECTORES nullam in iis impingendi occasionem reperturos esse existimemus. Nihil enim temere, & quod diu multumque meditati non sumus, immo nihil *extra rationes bona consequentia deductas* adtulisse nobis uidemur. Interim sicut non auram popularem aliamque laudem magnopere uenor, ita nec nasuti *Momi* acerbas facetias, perspicacis *Aristarchi* reprehensionem, seu *Catonis* censuram ualde curo. Ceterum

Si quid in his, LECTOR, placet, assignare memento

Id DOMINO: si quid displicet, hocce mihi.

Dionysius.

§. I. Materia pertractanda cum C. B. recensetur. §. II. Quæstiones duæ necessario uentilandaæ indigitantur. §. III. Quæstio Ima, §. IV. Quæstio IIda pertractatur. §. V. Transitus fit ad Disputationis Thema. §. VI. & VII. Diuisio istius Thematis, in 3. scilicet propositiones, ostenditur, §. VIII. IX. X. Propositiones eadem, pro conditione objecti, & affirmantur, & negatur. §. XI. Etymologica uocis ALICUBI inquisitio adponitur. §. XII. XIII. XIV. Rationes, pro negativa Problematis in Disputatione explicandi sententia, adferuntur. §. XV. Aduersarii nominantur, & in 2. Classes dispescuntur. §. XVI. XVII. XVIII. XIX. Objectiones aduersariorum Imae Classis proponuntur & diluuntur. §. XX. Idem obseruatur in refutandis aduersariorum IIdae classis argumentis, §. XXI. EPILOGUS.



94 A 7348





Vf 17

Hi. 52.

2419







6

IOUA IUUANTE RERUM PROGRESSUS,
DISPUTATIONEM,
PROBLEMA PHILOSOPHICUM:
AN DEUS ANTE CREA-
TIONEM MUNDI
ALICUBI
FUERIT, NEC NE?

IN SE CONTINENTEM,
CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS
PHILOSOPHICI,
IN
CELEBRATISSIMA PREGELANA ACADEMIA PATRIA
PRO RECEPTIONE IN ORDINEM
PHILOSOPHORUM,
PLACIDAE SOPHORUM *ἐξεδόθη*
SUBMITTET
PRAESES
M. JOHANNES JUNGIVS, Reg. Pruss.,
RESPONDENTE
CHRISTOPHORO DANIELE *Weber*/R. P.
S. THEOL. ET PHIL. CULTORE
DIXXIV. JULII. ANNO M. DCC. XXIII.
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO,
AB HORA VIII. USQUE XII. HORIS MATUTINIS CONSUETIS.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS,